

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] huiusmodi accidentia possint immutare aliquod corpus
extrinsecum? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

Ad quartum dicendum, quod quantitas mathematica non abstrahit à materia intelligibili, sed à materia sensibilis, ut dicitur 7. metaph. * Dicitur autem materia sensibilis ex hoc quod subiicitur sensibilibus qualitatibus. Et ideo manifestum est, quod quantitas dimensiva qua remanet in hoc sacramento sine subiecto, non est quantitas mathematica.

ARTIC. III.

Vtrum species qua remanent in hoc sacramento possint immutare aliquid extrinsecum?

458
4. d. 12. q.
2. er. 2. q.
8. q. 2.
ar. 1. huius q.

2. 73. a. 2.
q. 6.

lib. 2. tex.
51. 74. q.
221. 10. 2.

A D tertium sic proceditur. Videtur, quod species qua remanent in hoc sacramento, non possint immutare aliquid extrinsecum. Probatur enim 7. Physic. quod formæ qua sunt in materia, sunt à formis qua sunt in materia, non autem à formis qua sunt sine materia: eo quod simile agit in sibi simile. Sed species sacramentales sunt species sine materia: quia remanent sine subiecto, ut ex dictis patet*. Non ergo possunt immutare materiam exteriorem, inducendo aliquam formam.

¶ 2 Præterea, Cessante actione principalis agentis, necesse est quod cesset actio instrumenti: sicut quiescente fabro, non mouetur martellus. Sed omnes formæ accidentales agunt instrumentaliter in virtute formæ substantialis, tamquam principalis agentis. Cū ergo in hoc sacramento non remaneat forma substantialis panis & vini (sicut supra habitum est †) videatur quod formæ accidentales remanentes, agere non possint ad immutationem exterioris materiæ.

¶ 3 Præterea, Nihil agit ultra suam speciem: quia effodus non potest esse potior causa. Sed species sacramentales omnes sunt accidentia. Non ergo possunt exteriorem materiam immutare, ad minus ad formam substantialiem.

SED contra est, quod si non possint immutare exteriora corpora, non possint sentiri. Sentitur enim aliiquid per hoc, quod immutatur sensus à sensibili: ut dicitur 2. de anima †.

R E.

RESPONDEO dicendum, quod quia vnumquodque agit in quantum est ens actu: consequens est, quod vnumquodque sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere. Quia igitur secundum predicta*, speciebus sacramentalibus datum est diuina virtute, ut remaneant in suo esse quod habebant, substantia panis & vini existente: consequens est, quod etiam remaneant in suo agere: & ideo omnem actionem, quam poterant agere, substantia panis & vini existente, possunt etiam agere, substantia panis & vini transente in corpus & sanguinem Christi. Unde non est dubium, quod possunt immutare exteriora corpora.

Ad primum ergo dicendum, quod species sacramentales licet sint formæ sine materia existentes, retinent tamen idem esse, quod habebant prius in materia. Et ideo secundum suum esse assimilantur formis, quæ sunt in materia.

Ad secundum dicendum, quod ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ. Et ideo sicut diuina virtute datur speciebus sacramentalibus, ut possint esse sine substantia: ita datur eis ut possint agere sine forma substantiali, virtute Dei, à quo sicut à primo agente dependet omnis actio formæ, & substantialis & accidentalis.

Ad tertium dicendum, quod immutatio quæ est ad formam substantialiem, non fit à forma substantiali immediatè, sed medianibus qualitatibus actiuis & passiuis, quæ agunt in virtute formæ substantialis. Hæc autem virtus instrumentalis conseruat in speciebus sacramentalibus diuina virtute, sicut & prius erat. Et ideo possunt agere ad formam substantialiem instrumentaliter. Per quem modum aliquid potest agere ultra suam speciem, non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis.

*Ar. I. b4
ius q. 63
3.*

A R.